

## Q

- Quæ in fraudem creditorum. *pag.* 1587. *lib.* 42. *tit.* 8.  
 — res pignori vel hypoth. 688. \* 20. 3.  
 — sententiæ sine appellat. 1644. \* 49. 8.  
*de* Quæstionibus. 1618. \* 48. 18.  
 Quando appellandum sit. 1641. \* 49. 4.  
 — de peculio actio. 581. \* 15. 2.  
 — dies legatorum. 1146. \* 56. 2.  
 — dies ususfructus. 414. \* 7. 3.  
 — ex facto tutor. vel curat. 837. \* 26. 9.  
 Quarum rerum actio non datur. 1450. \* 44. 5.  
 Quemadmodum servitutes amitt. 445. \* 8. 6.  
 Quibus ad libertatem proclamere. 1526. \* 40. 15.  
 — ex causis in possess. 1575. \* 42. 4.  
 — modis pignus vel hypoth. 693. \* 20. 6.  
 — modis ususfr. vel usus amitt. 415. \* 7. 4.  
 — non competit honor. possess. 1229. \* 58. 15.  
*de* Quibus rebus ad eund. Judic. 494. \* 11. 2.  
 Qui et à quibus manumissi liberi. 1515. \* 40. 0.  
 — petant Tutor. vel Curat. 820. \* 26. 6.  
 — potiores in pignore. 689. \* 20. 4.  
 Quis, à quo appelletur. 1641. \* 49. 5.  
 — ordo in possess. servetur. 1229. \* 58. 15.  
 Qui satisfacere cogantur. 267. \* 2. 8.  
 — sine manumissione ad libert. 1514. \* 40. 8.  
 — testamenta facere possunt. 869. \* 28. 1.  
 Quod cujuscunque universit. nom. 505. \* 5. 4.  
 — cum eo, qui in aliena potest. 565. \* 14. 5.  
 — falso tutore auctore gest. 859. \* 27. 6.  
 — Jussu. 586. \* 15. 4.  
 — Legatorum. 1594. \* 45. 5.  
 — metus causa gest. 518. \* 4. 2.  
 — quisque juris in alterum stat. 261. \* 2. 2.  
 — vi aut clam. 1420. \* 45. 24.  
 Quorum honorum. 1595. \* 45. 2.

## R

- Ratam rem haberi. 1555. \* 46. 8.  
*de* Rebus auctoritate Judicis possid. 1378. \* 42. 5.  
 — creditis. 507. \* 12. 1.  
 — dubiis. 1075. \* 54. 5.  
 — eorum, qui sub tutela. 863. \* 27. 9.  
*de* Receptoribus. 1379. \* 47. 16.  
*de* Receptis, qui arbitri. 548. \* 4. 8.  
*de* Regula Catoniana. 1079. \* 51. 7.  
*de* Regulis juris. 1717. \* 50. 17.  
*de* Re judicata. 1566. \* 42. 1.  
*de* Rei vindicatione. 589. \* 6. 1.  
*de* Religiosis et sumptib. fun. 499. \* 11. 7.  
*de* Re militari. 1660. \* 49. 16.  
*de* Remissionibus. 1427. \* 45. 25.  
 Rem pupilli vel adolesc. salv. fore. 1529. \* 46. 6.  
*de* Requirendis vel absentibus damp. 1617. \* 48. 17.  
*de* Rerum permutatione. 676. \* 19. 4.  
*de* Rescindenda venditione. 646. \* 18. 5.  
*de* Ripa munienda. 1404. \* 45. 15.  
*de* Ritu nuptiarum. 745. \* 25. 2.  
*de* Rivis. 1418. \* 45. 21.

24. PAULUS, lib. 2, ad Neratium.

Pupillus, qui infans non est, apud consilium recte manumittit. Paulus: Scilicet tutore auctore; ita tamen, ut peculium eum non sequatur.

25. GAIUS, lib. 1, de Manumissionibus.

Si tutoris habendi causa pupillus manumittat, probationis esse causam Fufidius ait. Nerva filius contra sentit: quod verius est; namque per absurdum est in eligendo tutore firmum videri esse judicium pupilli, cuius in omnibus rebus ut infirmum judicium tutore auctore regitur.

## TIT. III.

DE MANUMISSIONIBUS<sup>1</sup>, QUÆ SERVIS AD UNIVERSITATEM PERTINENTIBUS IMPONUNTUR.

1. ULPIANUS, lib. 5, ad Sabinum.

Divus Marcus omnibus collegiis, quibus coeundi jus est, manumittendi potestatem dedit.

2. *Idem*, lib. 14, ad Sabinum.

Quare hi<sup>2</sup> quoque legitimam hereditatem liberti vindicabunt.

3. PAPIANUS, lib. 14 Responsorum.

Servus civitatis, jure manumissus, non<sup>3</sup> ademptum peculium retinet, ideoque debitor ei solvendo liberatur.

## TIT. IV.

DE MANUMISSIS TESTAMENTO<sup>4</sup>.

1. ULPIANUS, lib. 4, ad Sabinum.

Cum sæpius datur servo libertas, placet<sup>5</sup> eam favore valere, ex qua pervenit ad libertatem.

2. *Idem*, lib. 5, ad Sabinum.

Si quis ita heredem instituerit, *Titius heres esto. Si Titius<sup>6</sup> heres non erit, Stichus heres esto, Stichus liber esto*; non esse Stichum liberum Aristo ait, Titio herede existente: mihi videtur posse dici, liberum fore, quasi non utique alio gradu acceperit libertatem, sed dupliciter: quo jure utimur.

3. POMPONIUS, lib. 1, ad Sabinum.

Nec militi<sup>4</sup> minori annis viginti permittitur, posse testamento suo servum manumittere.

4. *Idem*, lib. 2, ad Sabinum.

Si quis ita scripserit, *Stichus liber esto, eique meus decem dato*: nulla dubitatio est, quin debeantur ei, etiam si eum paterfamilias vivus manuserit. — § 1. Sed et si sic, *Stichus liber esto, sive statim, sive post tempus, eique cum liber erit, heres meus decem dato*: idem dicendum est. — § 2. Illud constabit, si libertate data sic fuerit legatum, *eique, si eum vindicta liberavero, heres meus decem dato*: licet ex nimia subtilitate separatim est a testamento, attamen humanitatis intuitu valebit legatum, si vivus eum manuserit.

5. *Idem*, [lib. 3, ad Sabinum].

In libertatibus<sup>5</sup> levisima scriptura spectanda est: ut si plures sint, quæ manumisso facilior<sup>6</sup> sit, ea levisima intelligatur. Sed in<sup>7</sup> fideicommissariis libertatibus novissima scriptura spectatur.

6. ULPIANUS, [lib. 18, ad Sabinum].

Si fructuarium dominus proprietatis heredem scripserit, et servo sub conditione sit libertas data: quoniam interim fit heredis, confusione facta ususfructus, si extiterit conditio, perveniet ad libertatem.

7. *Idem*, [lib. 19, ad Sabinum].

Neratius scribit, ejus, cui libertas sic data est, *Si mihi nullus filius erit cum moriar, Stichus liber esto*, impediri libertatem posthumo nato; sed dum speratur nasci, utrum in servitute remanere dicimus, an vero ex postfacto, respondemus retro liberum fuisse, nullo filio nato? quod magis arbitror probandum.

FR. III. — 1. C. de servis reipub. manumitt. lib. 7, tit. 9. — 2. L. un. supr. de libert. universit. — 3. L. 55 supr. de pecul.  
 FR. IV. — 1. Lib. 7, C. 2. — 2. L. 45, l. 56, infr. h. t. — 3. L. 14, infr. eod. — 4. L. 4, C. de testam. milit. — 5. L. 2, supr. l. 45, infr. h. t. — 6. L. 35, supr. de condit. et demonstr. — 7. L. 99, supr. d. t. — 8. L. 23, in pr. infr. de statulib. — 9. L. 19, infr. h. t.; L. 8, § 4, supr. de jure codicill.; L. 91, § 2, supr. de legat. 1; L. 8 C. de fideicom. — 10. L. 11, § 2, infr. h. t.; L. ult. infr. de statulib.; L. 14, in pr. supr. de legat. 2. — 11. d. L. 14, in

8. POMPONIUS, [lib. 5, ad Sabinum].

Si ita sit scriptum, *Stichus, si rationes<sup>8</sup> diligenter tractasse videbitur, liber esto*: diligentiam desiderandam, quæ domino, non quæ servo erit utilis, conjuncta fidei bonæ, et in reliquis quoque reddendis.

9. ULPIANUS, [lib. 24, ad Sabinum].

Si quis ita legatus sit, ut manumittatur; si manumissus non fuerit, liber esse<sup>9</sup> jussus est, eique legetur: et libertatem competere, et legatum deberi, sæpe responsum est. — § 1. Quod constitutum est, vetitum in testamento ad libertatem perducere, non posse manumitti: hoc ad eos pertinere puto, qui testatoris fuerunt vel heredis; servus enim alieno id irrogari non poterit.

10. PAULUS, [lib. 4, ad Sabinum].

Si peculium prælegatum [est] et vicarius liber esse jussus sit, liberum eum esse constat: multum enim interest inter genus et speciem: speciem enim eximi de genere placet: quod est in peculio legato et vicario manumisso. — § 1. Si servus legatus<sup>10</sup>, liber esse jussus est, liber est; sed si prius liber esse jussus, postea legatus sit, si quidem evidens voluntas sit testatoris, quod<sup>11</sup> ademit libertatem, cum<sup>12</sup> placeat hodie etiam libertatem adimere posse, legato, eum cedere puto: quod si in obscuro sit, tunc favorabilius respondetur, liberum fore<sup>13</sup>.

11. POMPONIUS, [lib. 7, ad Sabinum].

Si legato servo fideicommissa libertas relicta est, vel heres, vel legatarius eum cogitur manumittere. — § 1. *Si Stichus et Pamphilus decem dederit, liberi sunt*: potest<sup>14</sup> alter quinquem dando liber esse, quamvis alter non dederit. — § 2. Cum testamento servus liber esse jussus est, vel<sup>15</sup> uno ex pluribus heredibus institutis adeunte hereditatem, statim liber est.

12. ULPIANUS, [lib. 50, ad Edictum].

Si quis libertatem sub<sup>16</sup> *jurisjurandi conditione* reliquerit, edicto prætoris locus non erit, ut jurisjurandi conditio remittatur: et merito; nam si quis remiserit conditionem libertatis, ipsam libertatem impedit: dum competere aliter non potest, quam si paritum fuerit conditioni. — § 1. Proinde et si legatum quis cum libertate acceperit, non aliter legatum habebit, nisi conditioni jurisjurandi paruerit. — § 2. Sed si pure libertatem acceperit, legatum sub jurisjurandi conditione: putat Julianus lib. 31 Digestorum, remitti ei conditionem jurisjurandi. — § 3. Idem puto dicendum, et si libertate quoque injecta conditio sit, sed testator eum vivus manuserit: nam et hic conditio legati remittetur.

13. *Idem*, [lib. 3 Disputationum].

Si ita fuerit servis duobus libertas data, *Si insulam ædificaverint vel si statuum posterint*: dividi<sup>17</sup> hæc conditio non poterit; solummodo illud habebit dubitationem, an altero faciente satisfactum voluntati videatur: ideoque ad libertatem perveniet? quod magis est: nisi aliud expressit testator; faciendo tamen, sibi conditionem implevit, alteri non<sup>18</sup>: quinimo extinguitur ei conditio: nec enim amplius parere conditioni potest, cum semel expleta sit. — § 1. Idem quæri potest, et si fabris duobus vel pictoribus, *Si membrum depinxissent vel [si] fabricassent navem*, quid adscriptum sit; nam voluntatis erit questio, num alteri alterius facti conditionem junxerit? quæ res efficit, ut quoad alter cessat, alteri quoque, qui facere paratus est, conditio deficiat; quod si ex his, quæ scripsit vel dixit, ostenditur contentus esse testator, vel alterum facere, res erit expedita: nam alter faciendo, aut et sibi et socio proderit, aut sibi tantum: prout voluisse testatorem apparuerit. — § 2. Hæc questio et in eo tractatur, si quis libertatem dederit servis duobus, *si rationes reddiderint*. Julianus enim tractat<sup>19</sup>, si alter reddere sit paratus, alter non sit<sup>20</sup>: an alter per alterum impediatur; et rectissime ait, si quidem separatim rationes gesserunt, sufficere ad libertatem adipiscendam ei, qui suas rationes reddit: si vero simul, non alias, videri alterum paruisse, nisi utriusque reliqua exsolverit. In reliquis accipere debemus, ut et ipsa volumina rationum reddantur. — § 3. Sed et *si ancilla cum filiis libera esse jussa sit*, et si nullos habeat, erit libera; vel si habeat quidem, filii autem ejus ad libertatem pertinere non possint: idem erit dicendum; et si ipsa libera non esse possit, filii [tamen] ejus pervenient ad libertatem. Nam hæc adjectio, *cum filiis*, non facit conditionem, nisi mihi proponas aliam sententiam testatoris fuisse: tunc enim pro conditione erunt hæc verba accipienda. Con-

pr. — 12. L. 50, infr. de fideicom. libert. — 13. L. ult. § 1, vers. secundum hæc supr. de vulg. et pupill. substit. — 14. L. 56, circa med. supr. de condit. et demonstr. — 15. L. 1, § 5, infr. si quis testam. liber. — 16. L. 56, infr. h. t.; L. 15, § 3, infr. de statulib.; L. 7, § 2, supr. de oper. libert. — 17. § 1, infr. hic; L. 6 C. de condit. insert. — 18. L. 59, § fin. infr. de statulib. — 19. L. 15, § 2, infr. d. t. — 20. L. 56, circa med. supr. de condit. et demonstr.



ditionem autem non facere, argumento est [et] edictum praetoris, quo ita cavetur, *Ventrem cum liberis in possessionem esse jubeo*: placet enim et si nulli liberi sint<sup>21</sup>, ventrem tamen ex edicto in possessionem mittendum.

14. *Idem*, [lib. 8 Disputationum].

Cum servus pure liber scribitur, et heres<sup>22</sup> sub conditione: placet deficiente conditione habere eum libertatem.

15. JULIANUS, [lib. 32 Digestorum].

*Stichum Sempronio do lego: si Sempronius Stichum intra annum non manumiserit, idem Stichus liber esto*. Quaesitum est, quid juris sit? Respondit, hoc modo libertate data, *Si Sempronius non manumiserit, Stichus liber esto*: Sempronium, nisi manumiserit, nihil juris in Stichum habiturum, sed liberum eum futurum.

16. *Idem*, [lib. 56 Digestorum].

Si ita scriptum fuerit, *Cum*<sup>23</sup> *Titius annorum triginta erit, Stichus liber esto, eique heres meus fundum dato*; et Titius, antequam ad annum trigesimum perveniret, decesserit: Stichus libertas competet, sed legatum non debetur; nam favore<sup>24</sup> libertatis receptum est, ut mortuo Titio tempus superesse videretur, quo impleto libertas contingeret: circa legatum defecisse conditio visa est.

17. *Idem*, lib. 42 Digestorum.

Libertas, quae in<sup>25</sup> ultimum vitae tempus confertur (veluti, *Stichus cum morietur, liber esto*), nullius momenti existimanda est. — § 1. Haec autem scriptura, *Stichus, si Capitolium non ascenderit, liber esto*, ita accipienda est, si, cum primum potuerit, Capitolium non ascenderit: isto enim modo perveniet Stichus ad libertatem, si facultate data ascendendi Capitolium abstinuerit. — § 2. Hac scriptura testamenti, *Pamphilus liber esto, ita ut filiis meis rationem reddat*: an sub conditione libertas data videretur, quaesitum est? Respondi<sup>26</sup>, pure quidem datam libertatem, et illam adjectionem, *ita ut rationes reddat*, conditionem<sup>27</sup> libertati non injicere: tamen, quia manifesta voluntas testantis exprimeretur, cogendum eum ad rationes reddendas. — § 3. *Post annos* indistincte liber esse jussus, post<sup>28</sup> biennium liber erit: idque et favor libertatis exigit et verba patiuntur; nisi [si] aliud sensisse patremfamilias manifestissimis rationibus is, a quo libertas relicta est, probaverit.

18. *Idem*, lib. 2, ad Urseium Feroecem.

Qui duos heredes instituebat, post alterius mortem servum liberum esse jusserat: is, ex cuius morte libertas pendebat, vivo testatore decesserat: Sabinus respondit, liberum<sup>29</sup> futurum. — § 1. Haec conditio, *cum moriar, liber esto*: vitae tempus complectitur, et ideo inutilis esse videtur; sed melius est, verba benignius interpretari, ut post mortem suam videatur testator ei libertatem reliquisse. — § 2. Sed multo magis haec, *Ad annum liber esto*, [vel] ita accipi potest, *Post annum, quam moriar, liber esto*; et licet<sup>30</sup> hoc modo accipiatur, *Post annum, quam hoc testamentum factum erit, liber esto*: si evenerit, ut intra annum testator decessat, inutilis non erit.

19. *Idem*, lib. 5, ad Urseium Feroecem.

Quidam heredem suum rogaverat, ut servum<sup>31</sup> manumitteret: deinde, si heres eum non manumiserit, liberum esse jusserat, eique legaverat: heres eum manumisit; plerique existimant, hunc ex testamento libertatem consequi: secundum hoc legatum quoque ei debetur.

20. AFRICANUS, lib. 4 Quaestionum.

Servos legavit, et cavit ita: *Rogo, si te*<sup>32</sup> *promeruerunt*<sup>33</sup>, *dignos eos libertate existimes*. Praetoris haec partes sunt, ut cogat libertatem praestari; nisi si quid tale hi servi admererint, ut indigni sint, quo libertatem consequantur: non etiam, ut talia officia ab his exigantur, pro quibus libertatem mereri debent. Arbitrium tamen ejus erit, qui rogatus sit, quo tempore quemque velit manumittere: ita ut si vivus non manumisisset, heres ejus statim libertatem praestare cogatur.

21. *Idem*, lib. 4 Quaestionum.

*Stichus, immo*<sup>34</sup> *Pamphilus, liber esto*. Pamphilum liberum futurum respondit: quodammodo enim emendasse errorem suum testatorem. Idemque juris fore, etiam si ita scriptum fuerit, *Stichus liber esto, immo Pamphilus liber esto*.

21. L. 121, supr. de legat. 1; L. 7, in fin. supr. de ventre in possess. mitt. — 22. L. 2, supr.; L. 16, infr. h. t.; L. 42, circa fin. infr. de fideicom. libert.; L. 2, § pen. infr. de statutib.; L. 4, in fin. pr. infr. de reb. auctor. judic. — 23. L. 25, § 3, infr. de fideicom. libert. — 24. L. 122, infr. de reg. jur. — 25. L. ult. in pr. infr. h. t.; L. 4, § 1, infr. de statutib. — 26. L. 44, circa fin. infr. h. t. — 27. *Immo vide* L. 1, C. de his que sub mod. — 28. L. 109, infr. de verb. oblig.; L. 217, in fin. infr. de verb. sign. — 29. Arg. L. 7, circa med. C. de instit. e. substit. — 30. L. 41, § 15, in fin. infr. de fideicom. libert. — 31. L. 9, in pr. supr. h. t. — 32. *Adde* L. 77, § 25, supr. de legat. 2; L. 11, § 8, supr. de legat. 3; L. 41, § 1; L.

22. *Idem*, lib. 9 Quaestionum.

Qui filium impuberem heredem instituit, *Stichum ratione argenti, quod sub cura ejus esset, reddita, liberum esse jusserat*: is servus, parte argenti subtracta, cum tutore divisit, atque ita tutor ei parem rationem adscripsit. Consultus an Stichus liber esset? Respondit, non esse liberum. Nam quod alioquin placeat, si statuliber pecuniam dare jussus tutori det<sup>35</sup>, vel per tutorem stet, quo minus conditioni pareatur, pervenire eum ad libertatem: ita accipiendum, ut bona fide, et citra fraudem statuliberi et tutoris id fiat: sicut et in alienationibus rerum pupillarum servatur. Itaque et si offerente statulibero pecuniam tutor in fraudem pupilli accipere nolit: non aliter libertatem contingere, quam si servus fraude careat; eademque et de curatore dicenda. Item quaesitum est, *rationem argenti reddere jussus*, in quem modum intelligendus sit conditioni paruisse: id est, an si quaedam vasa<sup>36</sup> sine culpa ejus perierint, atque ita reliqua vasa heredi bona fide assignaverit, perveniat ad libertatem? Respondit, perventurum: nam sufficere, si ex aequo et bono rationem reddat: denique quam rationem bonus paterfamilias reciperet, ea heredi reddita impletam conditionem videri.

23. MARCIANUS, lib. 1 Institutionum.

Testamento manumissus, ita demum fit liber<sup>37</sup>, si testamentum valeat et ex<sup>38</sup> eo adita sit hereditas: vel si quis omnia causa testamenti ab intestato possideat hereditatem. — § 1. Testamento data libertas competit: pure quidem data, statim<sup>39</sup> quam adita fuerit hereditas vel ab uno ex heredibus; si in diem autem libertas data est, vel sub conditione: tunc competit libertas, cum dies venerit, vel conditio extiterit.

24. GAIVS, lib. 1 Rerum cottidianarum, sive aureorum.

Nominatim<sup>40</sup> videntur liberi esse jussi, qui vel ex artificio, vel officio, vel quolibet alio modo evidenter denotati essent: veluti *dispensator meus, cellarius meus, cocus meus: Pamphili servi mei filius*.

25. ULPIANUS, lib. 4 Regularum.

Testamento liber esse jussus, tum fit liber, cum adita<sup>41</sup> fuerit hereditas qualibet ex parte: si modo ab eo gradu, quo liber esse jussus est, adita fuerit, et pure quis manumissus sit.

26. MARCIANUS, lib. 1 Regularum.

Divus Pius et divi fratres favorabiliter rescriperunt, Cum servo cum libertate substituto legatum erat, si<sup>42</sup> heres non esset, non adscripta libertate: perinde haberi, atque si adscripta esset et libertas.

27. PAULUS, [lib. 1, ad legem Eliam Sentiam].

Qui potuerat apud consilium manumittendo ad libertatem perducere, possunt etiam necessarium heredem facere, ut haec ipsa necessitas probabilem faciat manumissionem.

28. *Idem*, [libro sing. de jure Codicillorum].

*Stichus, si codicillis cum non veturo liberum esse, liber esto*: sic est, atque si diceret, [Stichus] *si in Capitolium non ascendero, liber esto*: nam et heres sic institui potest.

29. SCEVOLA, [lib. 23 Digestorum].

Uxorem praegnantem repudiaverat, et aliam duxerat: prior enixa filium exposuit: hic sublati ab alio educatus est, nomine patris vocitatus: usque ad vitam tempus patris, tam ab eo, quam a matre, an vivorum numero esset<sup>43</sup>, ignorabatur: mortuo patre, testamentoque ejus, quo filius neque exheredatus, neque heres institutus sit, recitato, filius et a matre, et ab avia paterna agnitus hereditatem patris ab intestato, quasi legitimus possidet: quaesitum est, hi, qui testamento libertatem acceperunt, utrum liberi, an servi sint? Respondit, filium quidem nihil praedicti passum fuisse, si pater cum ignoravit; et ideo cum in potestate [et] ignorantis patris esset, testamentum non valere: servi autem manumissi si per quinquennium in libertate morati sunt, semel datam libertatem infirmari, contrarium studium favore libertatis est.

30. ULPIANUS, lib. 19, ad Edictum.

Si servi, qui<sup>44</sup> apud hostes sunt, liberi esse jussi sunt, ad libertatem perveniunt: quamvis<sup>45</sup> neque testamenti, neque mortis tempore, testantis, sed hostium fuerunt.

46. § 3, infr. de fideicom. libert. — 33. L. 51, in pr. infr. h. t. — 34. L. 47, in pr. supr. de hered. instit. — 35. L. 17, supr. de adim. vel transfr. legat. — 36. L. 63, infr. de solutio. — 37. L. 41, § ult. infr. de fideicom. libert. — 38. L. 40, in fin. infr. de statutib. — 39. L. 14, C. h. t. — 40. L. 24, § 14, infr. de fideicom. libert. — 41. L. 12, C. h. t.; L. 1, C. de fideicom. libert. — 42. L. 25, L. 58, infr. h. t. — 43. L. 37, infr. eod.; § 25, vera. libertas Inst. de legat. — 44. L. 23, supr.; L. 58, infr. h. t. — 45. L. 14, supr. eod. — 46. L. 25, in pr. supr. de liber. et post. hum. — 44. L. 24, § 2, infr. de fideicom. libert. — 45. *Immo vide* L. 55, infr. h. t.

31. PAULUS, lib. 26, ad Edictum.

Cum ex pluribus eodem nomine servis unus liber jussus, non<sup>46</sup> appareat qui sit, nullus liber est.

32. ULPIANUS, lib. 65, ad Edictum.

Sciendum est, necessario herede existente, quamvis<sup>47</sup> se abstineat, tamen libertates competere: si modo non in fraudem legis Eliae Sentiae datae fuerint.

33. PAULUS, lib. 12 Quaestionum.

Libertas ad<sup>48</sup> tempus dari non potest.

34. *Idem*, lib. 74, ad Edictum.

Ideoque si ita scriptum sit, *Stichus*<sup>49</sup> *usque ad annos decem liber esto*: temporis adjectio supervacua<sup>50</sup> est.

35. *Idem*, lib. 50, ad Edictum.

Servus existimabat, iis posse servis dari testamento directam libertatem, qui<sup>51</sup> utroque tempore, et quo testamentum fit, et quo moritur, testatoris fuerunt; quae sententia vera est.

36. *Idem*, lib. 7, ad Plautium.

Servum testamento ita manumisi, *Si*<sup>52</sup> *juraverit, se Cornelio filio meo decem operarum daturum, liber esto*. Quaeritur quid juris sit? et sciendum est, jurando servum conditionem implere: sed non teneri operarum nomine: quia, nisi post manumissionem juret, non obligatur.

37. *Idem*, lib. 9, ad Plautium.

Nominatim<sup>53</sup> codicillis manumissus videtur servus, cujus nomen testamento continetur.

38. *Idem*, lib. 12, ad Plautium.

Libertas testamento servo ita dari potest, *Cum per leges*<sup>54</sup> *licebit, liber esto*.

39. *Idem*, lib. 16, ad Plautium.

*Stichus servus meus, si eum heres alienaverit, liber esto*: inutiliter libertas datur, quia in id tempus confertur, quo alienus futurus sit; nec contrarium est, quod statuliber, etiam si venerit, ex testamento libertatem consequitur: *quippe* utiliter libertas data, facto heredis non perimitur. Aut quid in legato eo modo dato dicemus? diversum enim nulla ratione dicitur: nam inter libertatem et legatum, quantum ad hanc causam, nihil distat. Igitur, nec si directo dabitur libertas, *Si heredis mei esse desiderit, liber esto*: quia nullum casum utilem habet.

40. POMPONIUS, lib. 5, ex Plautio.

Julianus ait, cum idem homo, et per fideicommissum detur<sup>55</sup> alicui, et liber esse jubeatur, heredem libertatem praestare debere: non enim cogetur (inquit) ex causa fideicommissi aestimationem sufficere, cum debitam libertatem reddiderit. — § 1. Sed et cum sub conditione servo libertas per fideicommissum detur, et ipse praesenti die daretur, non<sup>56</sup> aliter tradere eum cogetur, quam ut caveatur, existente conditione libertati eum restitutum iri: nam in omnibus fere causis fideicommissas libertates pro directo datis habendas. Sed Otilius aiebat, si adimendi legati causa fideicommissam libertatem testator dedisset, ea vera esse: si vero onerari heredem a testatore legatarius ostenderit, aestimationem nihilominus legatario praestandam.

41. *Idem*, lib. 7, ex Plautio.

Si ita fuerit libertas relicta, *Stichus servus meus anno duodecimo, postquam ego mortuus ero, liber esto*: verisimile est, principio<sup>57</sup> duodecimi anni cum liberum esse: nam hoc mortuum sensisse; et in hos sermones, *duodecimo anno, et post duodecim annos, multum interest*: et ita loqui solemus, *duodecim annus est*, cum quantumlibet ex duodecimo anno venisset, aut praeterisset; et qui duodecimo anno liber esse jubetur, omnibus anni diebus liber esse jussus est. — § 1. Sed si ita sit scriptum in testamento, *Stichus servus meus heredi meo mille nummos anno, biennio, triennio, postquam ego mortuus ero, si solverit, satise fecerit, liber esto*: non potest is servus, nisi triennio praeterito, liber esse, nisi presentem eam pecuniam solvat, aut satisfaciat: compensanda etenim est heredi libertatis celeritas praematura pecuniarum solutioni. — § 2. Laeoe scribit, Si sic libertas relicta sit, *Stichus intra annum [post] quam mortuus ero, liber esto*, statim eum liberum esse; nam

46. L. 10, in pr. supr. de reb. dub. — 47. L. 3, C. h. t. — 48. L. 34, infr. eod. — 49. L. 18, § 2, supr. eod.; L. 41, § 15, infr. de fideicom. libert. — 50. L. 94, infr. de reg. jur. — 51. § 2, vera. nec alius Inst. de singul. reb. per fideicom.; immo vide L. 30, supr. h. t. — 52. L. 12, in pr. supr. eod. — 53. L. 24, supr. eod. — 54. L. 23, § 2, supr. ex quib. caus. major. — 55. L. 14, in pr. supr. de legat. 2. — 56. L. 47, § 5, infr. de fideicom. libert. — 57. *Immo vide* L. 42, infr. de verb. oblig. — 58. L. 41, in pr. infr. de fideicom. libert. — 59. L. 16, in pr. infr. d. t.

et si ita sit, *si intra annum decimum heredi meo dederit, liber esto*: statim solvendo eo liberum esse sine mora futurum.

42. MARCELLUS, lib. 16 Digestorum.

Si quis ita scripserit, *illum illius*<sup>58</sup> *libertum esse volo*: et servus libertatem petere potest, et ille, ut habeat libertatem.

43. MODESTINUS, lib. singul. de Manumissionibus.

Libertates directae et<sup>59</sup> testamento et codicillis testamento confirmatis recte dantur: fideicommissae et ab intestato<sup>60</sup>, et codicillis<sup>61</sup> non confirmatis relinqui possunt.

44. *Idem*, lib. 10 Responsorum.

Mavia decedens servis suis, nomine Sacco, et Eutychia et Hirenae, sub conditione libertatem reliquit his verbis: *Saccus servus meus, et Eutychia et Hirena ancillae meae, omnes sub hac conditione liberi sunt, ut monumento meo alternis mensibus lucernam decendant: et solemnia mortis peragant*. Quaero, cum adsiduo monumento Maviae Saccus, et Eutychia et Hirena non adsint, an liberi esse possunt? Modestinus respondit, neque contextum verborum totius scripturae, neque mentem testatrix eam esse<sup>62</sup>, ut libertas sub conditione<sup>63</sup> suspensa sit, cum liberos eos monumento adesse voluit: officio tamen judicis eos esse compellendos, testatrix jussioni parere.

45. *Idem*, lib. 2 Pandectarum.

Quod volgo dicitur<sup>64</sup>, *sub pluribus conditionibus data libertate*<sup>65</sup> *levissimam conditionem spectandam esse*: ita verum est, si separatis conditiones sint datae; quod si conjunctim datae sunt, nisi<sup>66</sup> omnibus paruerit, liber non erit.

46. POMPONIUS, lib. 7, ex variis Lectionibus.

Aristo Neratio Appiano rescripsit, testamento liber esse jussus, *cum annorum triginta esset*, antequam ad eam aetatem perveniret, [si] in metallum damnatus sit, ac postea revocetur: sine dubitatione cum libertate legatum ad eum pertinere; neque metallorum poena jus ejus mutari. Nec aliud, si heres esset sub conditione institutus, futurum enim eum etiam necessarium.

47. PAPINIUS, lib. 6 Quaestionum.

Cum<sup>67</sup> ex falsis codicillis per errorem libertas, licet non debita, praestita tamen ab herede fuisset: viginti<sup>68</sup> solidos a singulis hominibus inferendos esse heredi, princeps constituit. — § 1. Sed et si conditionis implende gratia servum institutus manumiserit, ac postea filius de infocioso agendo tenuerit, vel testamentum falsum fuerit pronunciatum: consequens erit, idem in hac specie fieri, quod in falsis codicillis constitutum est.

48. *Idem*, lib. 10 Quaestionum.

Si socius testamento libertatem ita dederit, *Pamphilus, si eum socius manumiserit, liber esto*: Servus respondit, socio manumittente, communem fieri libertum familiae atque manumissoris. Neque enim novum aut incognitum est, vario jure communi mancipio libertatem obtingere.

49. *Idem*, lib. 6 Responsorum.

Testamento militis ita manumissam, *Samiam in libertate esse jussi*, directam libertatem jure militiae cepisse placuit.

50. *Idem*, lib. 9 Responsorum.

